



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 173. Vtrum ius, & dominium, sit aliquid physicum, vel morale,
intrinsicum, vel extrinsicum subiecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

QVAESTIO CLXXIII.

Virum ius, & dominium sit aliquid physicum, vel morale, intrinsecum, vel extrinsecum subiecto?

1. **V**idetur non posse explicari, in quo formaliter consistat ius, & dominium. Primo enim ius, & dominium creatum, tum proprietatis, tum iurisdictionis non identificatur cum subiecto, id est cum eo, qui est dominus, & habet ius; Petrus enim, qui est dominus agri ex. gr. potest existere, & non esse dominus agri; ergo ius, & dominium agri est aliquid superadditum subiecto, hoc est Petro; & quia potest existere Petrus, & ager, absque eo, quod Petrus sit dominus agri, ius, & dominium agri superaddit aliquid distinctum à Petro, & agro simul existentibus. Similiter potest existere ille homo, qui est rex, & non esse rex: ergo ius, & dominium iurisdictionis in regnum distinguitur realiter à subiecto, hoc est ab illo homine, qui est rex. Idem dic de alijs iuribus, ac dominijs iurisdictionis.
2. Secundo ius, & dominium non est accidens intrinsecum subiecto. Infans enim ex. gr. qui sit dominus agri, vel sit rex, per hoc præcisè, quod habeat ius in agrum, vel regnum, nullum accidens intrinsecum, habet, quo careret, si non esset dominus agri, vel regni.
3. Tertio si dicatur ius, & dominium esse quoddam accidens, non physicum, sed morale intrinsecum subiecto iuris, ac dominijs: contra est, quia omne ens morale debet fundari in aliquo physico, & cum aliquo identificari: sed non potest explicari, quid sit illud physicum, in quo fundatur, & cum quo identificatur hoc accidens morale iuris, ac dominijs: ergo &c.
4. Quarto si dicatur hoc accidens morale iuris, ac dominijs fundari in actu physico voluntatis, quo Deus, vel Communitas, vel alius, potestate accepta à Deo, vel à communitate, voluerunt dare alicui homini, puta Petro, ius, & dominium iurisdictionis, vel proprietatis: contra est, quia non potest explicari, quodnam sit obiectum volitum per actum, quo Deus ex. gr. voluit dare Sauli ius in regnum Israelitarum. Si enim hoc ius identificatur cum illo actu voluntatis, Deus volens dare Sauli ius in regnum, nihil aliud voluit, quam ipsum suum velle, quod est absurdum, & inexplicabile. Si hoc ius distinguitur ab actu, quo Deus voluit dare ius, redit difficultas, & quaeritur, quid tandem sit distinctum ab actu volente dare ius, ipsum ius volitum?
5. Respondeo, quod alia est quaestio, qua quaeritur, quid res metaphysicè sit? Cui quaestioni responderetur, afferendo definitionem me-

taphysicam rei constantem ex genere, & differentia: alia est quaestio, qua quaeritur, quid res physicè sit, cui responderetur, assignando præcipuè formam physicam, per quam constituuntur res. Ex. gra. alia est quaestio, qua quaeritur, quid metaphysicè sit homo, cui responderetur, afferendo definitionem hominis, ac dicendo, quod homo est *animal rationale*; alia est quaestio, qua quaeritur, quid physicè sit homo, seu per quam formam constituatur, cui responderetur, dicendo, quod homo constituitur per animam rationalem distinctam à corpore, & informantem corpus. Cum ergo licet qu. 156. & 157. responderimus quaestioni, qua quaeritur, quid metaphysicè sit ius, & dominium, afferendo definitiones metaphysicas iuris, ac dominijs, adhuc non responderimus quaestioni, qua quaeritur, per quam formam ultimo constituatur ius, & dominium, per formam physicamne, an moralem, intrinsecam, an extrinsecam subiecto, debemus huic quaestioni respondere. Quia verò ius, & dominium creatum derivatur à diuino, iuxta illud Apostoli ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, primò explicandum est, quid physicè sit ius, & dominium diuinum? Deinde quid physicè sit ius, & dominium creatum?

6. Dicendum igitur primo: ius, & perfectum dominium, tum proprietatis, tum iurisdictionis, per quod Deus potest disponere de omnibus creaturis in quoslibet vsus, prout decet optimum, & sapientissimum, est identificatum cum Deo, & cum essentia diuina.

Probatur: nam hoc ius, & dominium diuinum est perfectio simpliciter simplex necessariò conueniens Deo, siquidem Deus cum sit ens primam, à quo omnia alia entia essentialiter pendent, tum in fieri, tum in conseruari, essentialiter est Dominus, & Princeps omnium aliarum rerum, dominio prorsus inabdicabili; sed omnis perfectio simpliciter simplex necessariò conueniens Deo identificatur cum Deo, & cum diuina essentia; ergo &c. Si autem dominium diuinum sumatur relatiuè, in quantum est potestas disponendi de creaturis actu Deo subiectis, constituitur partim per essentiam diuinam, partim per relationem subiectionis, qua creaturæ actu existentes, sunt actu Deo subiectæ, vt explicatum est qu. 165.

7. Dicendum secundo: ius, & dominium creaturarum, tum proprietatis, tum iurisdictionis, distinguitur realiter à subiecto, hoc est ab ipsa creatura habente ius, & dominium. Probatur, Nam potest ex. gra. existere Petrus, & existere ager, vel domus, absque eo, quod Petrus sit dominus agri, vel domus, imò absque eo, quod Petrus habeat vllum ius in agrum, aut domum; ergo ius, aut dominium proprietatis, quo Petrus est dominus agri, vel domus, distinguitur realiter à Petro, & ab agro, vel domo simul existentibus. Rursus potest existere ille homo, qui est Rex alicuius regni, & simul existere regnum, absque eo, quod ille homo sit Rex, & dominus regni dominio iurisdictionis.

iurisdictionis: ergo dominium iurisdictionis, quo aliquis est rex, & dominus regni, distinguitur ab eo, qui est rex, & à regno. Idem dic de aliis iuribus, & dominijs etiam naturalibus. Cum enim ex dictis supra possimus priuari iuribus etiam naturalibus per legem, vel per liberam renunciationem, etiam iura naturalia sunt separabilia, adeoque distincta à nobis.

8. Quæritur igitur, per quam formam ille homo, qui est dominus agri, & secundum se præcisè est indifferens ad hoc, ut sit dominus, vel non sit dominus talis agri, constituitur formaliter dominus agri: per quam formam ille, qui est Rex, vel Pontifex, & secundum se præcisè est indifferens ad hoc, ut sit Rex, vel non sit Rex, sit Pontifex, vel non sit Pontifex, constituitur formaliter Rex, vel Pontifex. Huic quæstioni respondendo.

9. Dicendum tertio: omnia dominia, & iura creaturarum consistunt formaliter, vel saltem fundamentaliter proximè in actu legis naturalis, aut positivæ fauente ijs, quibus conceditur ius, & dominium, & grauant alios, eorumque libertatem restringente.

Probatur, & explicatur. Petrus ex. gra. habet ius naturale mouendi pro libito manus, & pedes &c. habet ius ad hoc, ut alius illum non interficiat, ut illi non amputet manus, pedes &c. ut non impediatur, ne Petrus liberè moueat manus, pedes &c. Hæc iura consistunt formaliter, vel fundamentaliter in actu legis naturalis fauente Petro, & restringente libertatem aliorum. Si verò quærat, quid sit talis actus legis fauens Petro, dico quod est actus quidam concessiuus, quo Deus ut auctor nature dicit Petro, *moue manus, & pedes, prout vis in tuam utilitatem, & prohibe alijs in tuam utilitatem, ne te impediatur à motu manuum, & pedum, ne te interficiant, ne ampuent tibi manus, aut pedes, &c.* Si quærat, quis sit actus legis grauens alios, dico, quod est actus præceptiuus, quo Deus per legem naturalem alijs dicit, *ne impediatur Petrum à libero motu manuum, & pedum: ne illum interficias, ne mutiles: sed sine illum quoad usum membrorum frui sua libertate.* Debet autem aduerti iuxta doctrinam grammaticorum sub modo grammaticaliter imperatiuo contineri etiam modos, qui verè non sunt imperatiui, sed purè concessiuui, vel permissiuui &c. In casu nostro actus legis fauens mihi, ac dicens: *Moue manus, & pedes, prout vis, licet explicetur per modum grammaticaliter imperatiuum, non est imperatiuus, sed purè concessiuus: actus grauens libertatem aliorum, illique dicens: Ne impediatur Petrum &c. verè est imperatiuus, ac præceptiuus. Proportionaliter pater lege nature habet ius iurisdictionis ad præcipiendum filijs. Hoc ius formaliter, vel fundamentaliter consistit in actu concessiuo legis naturalis, quo Patri dicitur *præcipe filijs in eorum utilitatem, & in actu imperatiuo, quo dicitur filijs: obedite parentibus præcipientibus in vestram utilitatem.* Sanctus Petrus,*

eiusque successores Romani Pontifices legè diuina habent ius iurisdictionis ad præcipiendum omnibus ouibus Christi, hoc est omnibus Christianis in eorum utilitatem, in ordine ad finem supernaturalem. Hoc ius consistit formaliter, vel fundamentaliter in actu concessiuo simul, & imperatiuo, quo Christus, qui est Deus simul, & homo, dixit Petro, eiusque successoribus usque ad finem mundi: *pasce oues meas, hoc est impera ouibus meis, eaque omnia circa illas exerce, que existimaueris conducere ad ipsarum bonum spirituale, & supernaturale, & in actu, quo præcepit ouibus, hoc est Christianis: obedite Petro, eiusque successoribus in ijs, que spectant ad finem supernaturalem.* Rex lege positiuæ humana habet dominium iurisdictionis in suum regnum. Hoc dominium, vel ius formaliter, vel fundamentaliter consistit in lege lata ab ipso regno, cum regem eligens, dixit illi, eiusque successoribus: *præcipite nobis in nostram utilitatem, & singulis, qui sunt in regno: obedite regibus præcipientibus in vestram, vel communem utilitatem.*

10. Sed quæritur, vtrum actus, quo lex aliquid præcipit, vel prohibet, concedit, vel permittit, sit actus intellectus, an voluntatis?

Respondeo, quod de hoc puncto ex professo egi to. i. quæst. 60. ideoque nihil hoc loco addendum.

11. Dicendum quarto: dominia, & iura creaturarum physicè, & à parte rei consistunt formaliter in solis actibus legis, & si dantur relationes prædicamentales modales, in relationibus prædicamentibus, per quas subiectum iuris, ac dominijs refertur ad actus legis: moraliter autem, & iuxta nostrum modum concipiendi consistunt solum fundamentaliter in actibus legis, formaliter consistunt in quibusdam perfectionibus moraliter intrinsecis subiecto.

12. Probatur prima pars. Nam iura, & dominia physicè, & à parte rei consistunt formaliter in ijs formis, per quas physicè, & à parte rei homines constituuntur formaliter domini, & habentes alia iura; sed physicè, & à parte rei homines constituuntur formaliter domini, & habentes iura per explicatos actus legis, vel per relationem modalem intrinsecam ipsis ad tales actus, si dantur relationes modales; ergo &c.

13. Probatur secunda pars. Nam cum concipimus aliquem esse Pontificem, Regem, Episcopum &c. concipimus Pontificatum, Regnum, Episcopatum &c. per modum cuiusdam dignitatis permanentis, & intrinsecè subiecto, quæ resultat ex electione, & ex actu legis dicente illis: *pasce oues meas, regna &c.* sed hæc dignitas intrinseca subiecto non est aliquid physicum, sed morale, & rationis per nostrum modum concipiendi, resultat ex actu legis, tanquam ex proximo fundamento: ergo &c.

14. Ad argumenta contraria patet ex dictis. Ad 1. enim concedimus iura, & dominia

nia creaturarum realiter distingui à subiecto, ut dictum est conclus. 2.

15. Ad 2. concedimus iura, & dominia, creaturarum non consistere physice, & à parte rei in aliquo accidente physice intrinseco subiecto, sed in extrinseco actu legis, & fortasse in relatione intrinseca subiecti ad actum legis, ut explicatum est conclusione 3. & 4. moraliter autem consistere in aliquo intrinseco subiecto per nostrum modum concipiendi resultante ex actu legis.

16. Ad 3. iam explicatum est, quid sit hoc accidens morale, & in quo fundetur, & cum quo realiter identificetur.

17. Ad 4. dictum est tom. 1. quæst. 60. actum voluntatis, quo Deus voluit dare Sauli ex. gr. ius ad regnum, habuisse pro obiecto actum concessiuum intellectus aliquo pacto distinctum ab actu voluntatis.

TRACTATUS XVIII.

De Iustitia, & iniustitia.

QVÆSTIO CLXXIV.

Virum iustitia bene definitur constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi?

S. Th. qu. 58. art. 1.

1. Videtur non bene definiti: primo quia voluntas dicitur, vel potentia volitiua, vel actus volendi: sed iustitia neque est potentia volitiua, neque actus volendi, sed est habitus: ergo &c.

2. Secundo si iustitia deberet esse essentialiter voluntas constans, & perpetua, homo iustus non posset per inconstantiam amittere iustitiam: siquidem voluntas perpetua non potest amitti; sed homo iustus potest per inconstantiam amittere iustitiam, & euadere iniustus: ergo &c.

3. Tertio ad solum Principem spectat tribuere unicuique suum ius: ergo si iustitia esset voluntas tribuendi unicuique ius suum, esset virtus propria Principis, & non conueniret priuatis.

4. Respondeo, quod quia cum Sancto Thoma quæst. 57. egimus de iure, in ordine ad quod definitur iustitia, sequitur, ut cum eodem quæst. 58. agamus de ipsa iustitia, ac primo de eius definitione.

5. Iustitia igitur definitur ab Vlpiano, quem sequuntur non solum Iurisperiti, sed etiam Philosophi, & Theologi cum Sancto Thoma hac quæst. 58. art. 1. *constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi*. Prima pars definitionis *constans, & perpetua voluntas*, explicat genus, in quo iustitia conuenit cum alijs virtutibus voluntatis. Omnes enim virtutes voluntatis conueniunt in hoc, quod sunt voluntas habitualis constans, & perpetua, hoc est habitus voluntatis difficile mobilis, quo velimus operari secundum hone-

statem, & obligationem talis virtutis, non semel, aut bis, sed semper, & perpetuo. Hoc autem significatur, cum dicitur, quod iustitia est constans, & perpetua voluntas, subintellige habitualis. Secunda pars definitionis, quæ est, *ius suum unicuique tribuendi*, explicat differentiam iustitiæ ab alijs virtutibus, quæ differentia desumitur per ordinem ad proprium obiectum formale: sed, ut dictum est qu. 158. obiectum formale iustitiæ est honestas tribuendi unicuique id, ad quod habet ius: ergo differentia iustitiæ ab alijs virtutibus est, quod velit tribuere unicuique id, ad quod habet ius, ex hoc ipso motiuo, quia honestas est tribuere unicuique id, ad quod habet ius.

6. Addit Sanctus Thomas articulo citato, quod allata definitio Vlpiani posset in meliorem formam reduci, dicendo, quod *iustitia est habitus, per quem aliquis constans, & perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit*, subintellige ex hoc motiuo, quia honestum est ius suum unicuique tribuere.

7. Addit secundo, quod in idem recidit definitio, qua iustitia definitur ab Aristotele 3. Ethicorum cap. 1. & 5. *habitus, per quem aliquis dicitur operari iustum electionem iusti*. Operari autem iustum nihil aliud est, quam operari id, ad quod vnusquisque habet ius.

8. Ad 1. Nomine voluntatis aliquando intelligitur potentia volendi, aliquando habitus volendi, qui dici etiam solet voluntas habitualis. In allata ergo definitione nomine voluntatis intelligitur habitus, ut explicatum est.

9. Ad 2. Nomine voluntatis constans, & perpetua intelligitur habitus difficile mobilis, & amissibilis, & amissibilis, licet simpliciter possit amitti. In hoc sensu est de essentia iustitiæ, & cuiuslibet virtutis moralis, ut sit voluntas constans, & perpetua. Ideo qui sunt bene dispositi ad exercendos actus iustitiæ, sed adhuc non habent habitum simpliciter difficile mobilem, non sunt simpliciter iusti, ut docet Aristoteles 2. Ethic. cap. 4. Nomine etiam voluntatis perpetua intelligitur habitus, quo quis inclinatur ad volendum operari, non semel, aut bis, sed semper, & perpetuo, secundum honestatem, & obligationem virtutis.

10. Ad 3. Respondeo cum Sancto Thoma ad 5. distinguo antecedens: solius Principis est tribuere unicuique ius suum, imperando, dirigendo, & etiam cogendo subditos ad tribuendum unicuique ius suum, concedo: solius Principis est executiue tribuere unicuique ius suum, nego; & nego consequentiam. Ad solum Principem pertinet dirigere, & per imperium etiam cogere subditos ad tribuendum unicuique ius suum, ideoque hæc iustitia gubernatiua est propria Principis. At vnusquisque subditorum, & priuatorum debet tribuere alijs id, ad quod habet ius, ideoque iustitia executiua conuenit etiam subditis, & priuatis.

QVÆ